



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

VII. Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

VI. ARGUMENTUM.

Virtutes non sunt confundendæ cum Paulus discernat: Fides,
Spes, Dilectio tria hæc, sed maior inter has dilectio,
Fiducia est actio seu actus spei,
Ergo fiducia est discernenda à fide.

RESPONDEO ad Maiorem. Verum est, virtutes non esse confundendas, sed recte intelligendæ sunt discrimina. Nam fides non est tantum noticia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, donatio Spiritus sancti & vitæ æternæ. Et est fiducia acquiescens in Deo propter mediatorem, accedens ad Deum, & accendens inuocationem, & clamans abba pater. Ergo quia fides in præsentia accipit remissionem peccatorum & reconciliationem, est fiducia præsentis beneficii. Sed spes est certa expectatio vitæ æternæ, gratis dandæ propter mediatorem, & est expectatio mitigationis penarum corporalium, iuxta voluntatem Dei. Cum igitur fiducia nominatur actus spei, intelligitur fiducia futuræ liberationis, seu futuræ mitigationis. Dilectio est obedientia, quæ prælucent in fide præstatur Deo, iuxta omnia mandata, sic ut cor lætetur in Deo.

VII. ARGUMENTUM.

Mala opera damnant,

Ergo bona saluant, quia contraria habent contrarios effectus.

RESPONDEO. Contraria, si sint pariter integra, habent contrarios effectus. Sed mala opera sunt integre mala, quod de non renatis manifestum est. Nam etiam si in Aristide & Scipione sunt magnæ virtutes, quia nisi esset aliquorum gubernatorum excellens virtus & sapientia, non posset conservari humana societas: Tamen hæc virtutes non sunt impletio legis, manent in corde tenebræ de Deo & de filio Dei, dubitationes & horrendi fremitus aduersus Deum. Deinde manifestum est, etiam in renatis, quanquam est in eis incoata obedientia, tamen non esse integram legis impletionem. Ideo dicitur in Psalmis: Non iustificabitur in conspectu tuo, omnis viuens. Et Iob cap. 9. inquit: Vere scio, quod non iustificetur homo coram Deo. Cum igitur non sit integra obedientia, non valet consequentia: Mala opera damnant. Ergo bona opera saluant, quia contraria non sunt æqualia. Hæc antithesis illustret beneficium Christi, qui tegit reliqua peccata in renatis, iuxta dictum: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata, id est renati placent propter mediatorem, non propter propriam dignitatem, quia incoata obedientia adhuc procul abest a perfectione legis.

VIII. ARGUMENTUM.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos, iuxta dictum:
Quis consiliarius eius fuit?

Credere